



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De modestia in commune. Cap. 14.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

fortiter vngula, nec inuictissim a carpsit  
penetralia

31 Hæc est nobilissima pars generis electi, & patrimonij filij Dei : nihil enim animis, quos patientia compsit, in castris Dei viuentis splendidius nitet.

32 Deponētes ergò Fratres nostri omne tristitiæ pondus, & semetipsos ad æternos honores, tot rationum, ac exemplorum armis instruētes, illud Parentis nostræ votum, quàm fortiter possūt, animo concipiant: Aut pati, aut interire. Citò enim labor omnis euanesceat, si tantillum Clementissimus Deus tentariteos, & inuenerit eos dignos se: & lætabuntur coram eo, sicut exultant victores capta præda, quam non sine cruore ceperunt. Enituntur, quæ retrò sunt, obliuisci & ad maiora se conentur extendere.

*De Modestia in commune.*

*Cap. XIV.*

**E**X virtutibus explanatis, ex castitate præsertim, humilitate, mansuetudine, ac patientia, modestia, quæ motuum externorum moderatio est, originem ducere videtur : illa quippè  
in-

interna bonorum affectuū series , exter-  
narum hominis partium compositi-  
onem , quasi fructum visu pulcherrimū  
edit.

2 Modestiaz verò partes diuersè à Scri-  
ptoribus recensentur ; inter nobiliores  
autem conuenit, omnem moderationē  
motuum corporalium, & rerum exte-  
riorum, ad modestiam pertinere : qua-  
propter multas temperantiæ partes illi  
affinis hūc possemus intexere, si de re-  
bus singulis agere oporteret: at nec pro-  
priè virtutes sunt, nec tractatum seorsū  
requirunt: quod vel vno exemplo vere-  
cundiæ liquet . Adolescentum quippè  
ornatus, verecundia est ; quæ nō est vir-  
tus, sed laudabilis passio ; timor videli-  
cet turpitudinis, quæ possit exprobrari:  
cui affinis est erubescencia , quæ  
ab illa discernitur , quod hæc cesset  
à turpi actu, illa verò turpem actum ce-  
let.

3 Erga verecundiam igitur satis fuerit  
iuniores fratres admonere, vt ferio vir-  
tutes veras colant: si enim peccatorum  
deformitatem ex amore virtutum per-  
horrescant, passio verecundiæ vtiliter, dū

occa-

occafio id' exiget, excitabitur: meminerint autem, eam passionem ex fragilitate nature, animis etiam inuitis, se piffime fufcitari, ob eas res, & vbi ratio id nõ requirit: putà ob deformitatem corporis, ob inertiam, ob tarditatem ingenij, & alia fimilia: fed humilitatis cultu, quoad hæc, appetitus reformatur.

4 Lauda autem à Patribus vertitur rubor ille, qui fuffundit faciem modestorum adolefcntum, cum in cœtum seniorum ingrediuntur, vel quippiam iniunctum publicè acturi funt: index enim animi bene inftituti eft: quod fratres noftri attente confiderent.

5 Honeftas etiam illa, quæ eft fpiritalis quædam in actionibus pulchritudo, quæ & decor, & decorum, & honeftum quoque appellatur, & pars temperantiæ eft, non eget peculiari fpeculatione, vbi veræ virtutes (quales descripfimus) coluntur: quæ naturali quodam ductu actiones decoras producant: quod ex honeftiffimis actibus, quos in humilitate, ac manfuetudine descripfimus, perfpici potest.

6 Regulas tamen ad exteriorem hominem

uem

nem iuxta Sanctorum Patrum disciplinam componendum, vt decorum illud seruet, adiicimus.

*Caput.*

**S**ic Monachus caput moderari debet: vt nec erectum, nec pronum, nec in alterutrum latus deflexum gerat.

Cum incedit, si ab aliquo se retrorsum vocari sentiat: ne caput solum retorquet, sed corpus totum conuertat.

Nec tunc ( sicut vniuersi quoties caput mouere necesse est) nimis festinat, sed sedate moueat.

Alia nonnulla per se quisque modeste preestabit, si quae diximus, memoriae mandet: quod vero ad oculos spectat, seorsum tradetur,

*Brachia.*

**7** **S**ic brachia mouenda sunt, quoties quid efficiendum, vt excessus vitetur: neque enim decet, saecularium more nimis ea porrigere, quasi vires ostendendae sint: nec vero aegre illa ad opus intendere, quasi pigeat laborare.

**At**

At in Choro, ad pect' reducta sic flectēda sunt, vt vtraq; manu breuiarium teneatur: turpis enim est sub ventriculum demissio: turpis alterius manus absconditio: & quidquid ignauiam præfert, turpe est.

In oratione, sub scapulari conferta brachia, vel duntaxat manus coniuncte ita componantur, vt languorem orationis hostem excutiant.

In Refectorio, cum ad esum datur signum, lentè brachia extendantur: ne videatur concupiscentia extimulare.

In locis alijs (quæ sigillatim per censere opus non est) quoties nihil agendum occurrit, manus ad fibulam cinguli cōpositæ, & sui, & brachiorum positum modestum obseruent.

#### Crura.

8 Sic regenda sunt crura, vt pari flexu vel extensione componantur, quoties peculiaris aliquis ritus crus alterum non excludit: cauendum autem, ne pes pedi, vel cruri crus incumbat: vel alio modo non vsitato deformitas vlla subintret.

*Totum Corpus.*

9 **C**Orpus totum in incessu ita componendum est, vt nec intensum, nec remissum incedat (quod ad corporis habitum attinet) nec celeriter, vel cunctanter eat (quod ad motum spectat) In sessione, siue in Choro, siue Oratorio, siue Refectorio, siue recreationis loco, siue cella, siue alibi, nè sit curuum, vel nimis erectum, vel detortum, aut alio deformatum modo, qui animi remissionem, vel è contrario affectationem prætendat.

Nocte in lecto, velut in sepulchro, rectum iaceat: ne aliqua pars detecta oculis noceat: die verò in cella, status, vel genuflexio, vel sessio, sine accubitu nè corpus componant, vt à repente ingredientibus, sine offensione, videri possit.

Denique quidquid alios, vel seipsum aspectu lædit, à fratribus accuratè vite.

*Corporis actio cum alijs.*

10 **C**Um statur, v.g. iuxta patrem, vel fratrem alium, nimia propinquitas, vel distantia fugienda est: sed

sed medium, quod rei, de qua agitur seruiat, eligendum quod ex circumstantijs innotescet.

Cum simul inceditur, animaduertendum, ne vel præeundo, vel cunctando, vel alios retardando, vel in aliorum latera impingendo, vel alijs modesti processus abusibus, molestia inferatur.

Cum sedetur, cauendum, nè quis alijs nimis hærendo, vel intuitum, siue auditum eorum, quæ dicuntur, prohibendo, vel alio quouis modo, qui minus deceat, fastidium generet.

In omni autem corporis positu, vestes corpori sic adaptentur, vt habiles sint, & omnia tegant: in quibus (sicut & in cellis, libris, & alijs vniuersis) nè proximis inferatur molestia, munditiam commendamus.

*Actionum modestia erga alios.*

**Q**uoties simul laborandum, vel à labore corpus recreandū, vel alio modo in commune agendum est: Religiosi veri partes sunt, ita mores, & corporis gestus alijs attemperare, vt nec nimia lætitia, seu risu dissolutionem,  
nec



nec mœrore, & corporis contractione  
rusticitatem præ se ferat, & aliorū ani-  
mos lædat.

Hinc sollicitè vitanda vitia hæc : cla-  
mor seu nimia vocis elatio : è contrariò  
nimia vocis demissio, vel mussitatio : cū  
ex necessitate oscitādum, nimia oris a-  
pèrtio, vel sonus insuavis : ex creatio fre-  
quens, vel violenta, vel strepitu iniucun-  
da : concitata, vel nimis lenta motio, cū  
ambulandum : humerorum impactio :  
brachiorum collisio : manuum tactio ni-  
mia exaggeratio, cum quid dicendum :  
despectionis vel improbationis signa, cū  
ab alijs quid agitur, vel dicitur : contra-  
dictio verborum, vel actionū importu-  
nitas : intrusio in aliorum officia, vel ad  
res sibi non demandatas properatio ; &  
alia huiusmodi, quæ mediocri attentio-  
ne à Christi famulis deprehendentur, si  
hoc documentū animo insculpant : om-  
nia scilicet, quæ ad comitatem sæcula-  
res modesti, ac prudentes præstare solēt,  
à Monachis quoq; sanctiore modo præ-  
stāda. Hinc alijs ( quoad per Obedientiā  
licet ) loco cedere : venientibus, ijs præ-  
sertim, qui sunt natu maiores, assurgere,  
capite

capite detecto cum antiquioribus verba facere: cum Patres aliquod onus gestant, obuijs vnus, se ad subeundum onus exhibere: cū senior quis noctu occurrit, ei si egeat prælucere, & si superior sit, lucernam, quam fortasse fert, comiter acceptam præferre, aliaque multa, quæ singulatim recensere necesse nõ est

12 Certò tamen Fratres nostri sibi persuadere debent, vrbauitatis huius, hoc est modestiæ sanctorum obseruatione, ad alendam charitatem, pacem, humilitatem, ac cæteras virtutes omnes addeò esse necessariã: vt impossibile cordatis, & expertis viris videatur, sine illa veræ sanctitatis studium posse constare: è contrario vero, dum illa colitur, Cænobicia sic instructa Hierachias cœlestes mira concinnitate inter se consentientes repræsentare.

13 Propterea non vitia tantum, quibus modestia corrumpitur, vitare, sed in eodemo Dei decore perfectiores in dies singulos euadere Fratres nostri conentur: quod assequi poterunt, si expendere, ac obseruare curauerint modos, qui

qui modestiam mirificè perficiunt: quales sunt; intuitus hilaris, & simplex: sermo suavis, & parcus: vox tono tēperata, & clara: responsa lenia: beneuoli animi ostensio non affectata: facilitas ad cōsentiendum alijs: laus aliorum moderata: fuga propriæ laudis: personarum, temporum, & rerum expensio: rerum dicendarum, & modi præmeditatio: & alij quoque modi, qui certo numero definiri non possunt; quos humiles, ac mites animi non obscure dignoscant

14 Fratres ergò nostri, quos ob Beatissimæ Virginis adoptionem, præ alijs etiam Religiosis decet honestas, sic decori huius perfectionem exquirant, vt nihil desideretur ad ædem Virginis honestandam.

15 Quamuis autem capita Modestix nobilia tetigerimus; duo consultò retinimus omnium certè præstantissima; vnum quod ad oculorum; alterū quod ad linguæ moderationem pertinet; tanti enim ponderis sunt, vt cum alijs, quæ minus doctrinæ requirunt, permiscenda non fuerint; quamobrem duobus

bus proximis capitib<sup>9</sup> ea persequemur

De modestia oculorum.

Cap. XV.

1 **I**nter omnes modestiæ partes, quæ ad oculos regendos attinet, singulari quodã iure, generale modestiæ nomen sibi vendicavit: quod in eis, quasi cordis indicibus, ea virtus præsertim luceat: quapropter Sanctorum Patrum, qui disciplinæ nostræ fontes fuere, consilijs acquiescentes, de oculorum custodia, impensius cogitare, ac scribere debuimus.

2 Quàm sit autè honesta intuitus moderatio, ad eò ipsis quoque modestiæ ignaris hominib<sup>9</sup> notum est, vt assertore non egeat. Habent enim oculi vim profectò magnam ad hominem totum honestandum, & turpitudinem quamuis decoris sui pallio contegendã; quod multis, & quotidianis experimentis exploratum est. Cuius certe veritatis argumentum producit ipsa naturalis oculorum pulchritudo, quæ faciẽ alioquin deformem sola condecorat: sic enim oculorum modestia, quæ spiritualis  
quæ.